

EPISTULA LEONINA

LXXXVII

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
 QUOD ĒDITUR
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
 CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-LXXXVI INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
OCTOGESIMAM SEPTIMAM (87) !

ARGUMENTA

1. De quadam planiformâ retiali periculosâ..... 5-6
2. Quaeri verbum ad sophophonum denominandum... 7-9
3. Symbolum Appleanum unde derivatum sit.....10-16
4. De usu sophophoni interrogatus quid responderim..18-28

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

Cara Lectrix, Care Lector,

valdê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam octogesimam septimam.

Hac in Epistolâ finivi relationem tripartitam, cui nomen imposueram Sophophonologiae. Bene scio ea, quae dixi de sophophoni periculis, multis displicere, immo vereor, ne plerique lectores verba mea respuant. Nonne iam Livius dixit plerumque fieri, ut maior pars meliorem vincat? At valent etiam verba Corporis Iuris Canonici quae sunt: QUI TACET CONSENTIRE VIDETUR.

Ille Stephanus (Steve) Jobs praepositus quondam negotiationis Appleanae, quod telephona mobilia interreti adiunxerat, hymnicê celebratus est nec desunt hodie, qui eum abundê laudent. Sed quid historici de eodem Stephano dicent post decem, viginti, quinquaginta – post centum annos? Utrum istum sophophoni creatorem adhuc praedicabunt an – exsecrabuntur? Dicentne Stephanum hominibus dedisse parvum illud mâlum admorsum an magnum – mălum, quadamtenus pyxidem Pandoraae? ...NEMO SCIT QUID SERUS VESPER VEHAT.

**Tu autem pancraticê vale et perge mihi favere!
Medullitus Te salutat**

Nicolaus Groß



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae, d. Martis, 8. m.Sept. a.2015



ΟΜΦΑΚΕΣ ΕΙΣΙΝ

AESOPUS

(ca. 600 a.Chr.n.)

Αισώπου Μῦθοι, Ἀλώπηξ καὶ βότρυς. Ἀλώπηξ λιμώπτουσα, ὡς ἐθεάσατο ἀπὸ τινος ἀναδενδράδος βότρυας κρεμαμένους, ἠβουλήθη αὐτῶν περιγενέσθαι καὶ οὐκ ἠδύνατο. Ἀπαλλαττομένη δὲ πρὸς ἑαυτὴν εἶπεν· "Ὅμφακές εἰσιν." Οὕτω καὶ τῶν ἀνθρώπων ἔνιοι τῶν πραγμάτων ἐφικέσθαι μὴ δυνάμενοι δι' ἀσθένειαν τοὺς καιροὺς αἰτιῶνται.

cfr PHAEDRUS 4,3 Nondum matura est; nolo acerbam sumere.

SOPHOPHONOLOGIA

id est

De usu et abusu telephoni intelligentis,

quod vulgo vocatur *smartphone*,

Latine autem

SOPHOPHONUM.

**PARS TERTIA (III)
QUAE EST FINALIS**



SURSUM CAPITA !

Die Mercurii, 18. m.Febr. a.2015

Estne *Younow* paradisus paedophilorum?

Ministerium familiae monet, ne parvuli utantur hac *planiformâ retiali

Younow spectat ad illud genus *planiformarum¹, quale est etiam *Youtube*, sed est temporis realis (*real-time, tiempo real, Echtzeit*). Camerâ retiali aut sophophono plerumque parvuli adolescentesve se cinematographant simulque cinemata irretiunt. Politici tutoresque iuvenum vehementer monent paedophilos quoque ûti hac planiformâ.



Younow in Civitatibus Unitis condita celeriter innotuit. Etiam numerus Germanorum hac planiformâ utentium in dies crescit. At non solum parvuli atque adolescentes hac planiformâ retiali utuntur, sed etiam paedophili eandem invenerunt sibi utilem.

Ministerium familiae foederale monet de periculis portalis temporis realis (*Livestreamingportal*), quod appellatur *Younow*. Quidam locutor ministerii: »Planiformae communicationis« inquit »qualis est *Younow*, sunt valdê periculosae«. Quo retificio usores iuvenes temptari, ut patefaciant vitam suam privatam – plerumque adolescentes procul dubio

¹ *planiforma, -ae f. angl. platform; fr. plate-forme; hisp. plataforma; ital. piattaforma; ngr. πλατφόρμα. - Latinum verbum invenitur apud duos auctores Italos septimi decimi saeculi: Francisco Serra, Synonymorum apparatus, Venetiis, M.DC.LIV. (1654), p.145: "**Planiformae** propugnaculum. *piattaforma*." --- Josephus Ricci, Rerum italicarum sui temporis narrationes quibus omnia bella, eventa, notabiles casus continentur, quae ab anno 1613 usque ad ad annum 1653. acciderunt. Venetiis, M.DC.LV. (1655), p.388: "...post aliquot horarum crudelem cruentamque pugnam in parmulae loricam audaci impetu pervaserunt atque ad **planiformae** ima promoti gradu ingentem excavare cuniculum aggrediuntur; ...".

recognosci. Ita fieri, ut »facilius fiant molestatio retialis a coaequalibus necnon molestationes sexuales ab adultis«.

Planiforma retialis *Younow* in Civitatibus Unitis exstat ex anno 2011. Usore huius planiformae se ipsos cinematographant simulque cinemata recepta in rete transferunt. Haec planiforma praecipuê grata est parvulis adolescentibusque. At tutores iuvenum hoc retificium vituperaverunt, quia nonnulli adolescentes socordes nimis multum sui ipsius patefacerent.

Non permittunt quidem praebitores ipsius *Younow*, ut planiforma sua ineatur nisi ab hominibus minimum tredecim annos natis. At locutor ministerii familiae monuit illos praebitores nullo modo curare, ne parvuli adolescentisque obtegerentur contra pericula atque attemptationes. Hanc planiformam non esse aptam ad usum parvulorum.

Carsten Ulbricht autem, Stutgardiensis advocatus iuris retialis medialisque »Reverâ« inquit »multi istâ planiformâ utuntur, qui non assequantur limitem aetatis praescriptum«. Hoc portal non spondere damnum resarciendum nisi ipsum animadverterit in peccatorem, quamvis nuntiatum esset aliquid peccatum esse. Îdem advocatus: »Ergo praebitoribus huius portalis planiformaeve non est officium, ut custodiant ea, quae in portali communicantur. Hoc, cum communicatio simul transferatur in rete, sic quoque vix fieri posset«.

SYMBOLAM QUAE INSCRIBITUR

<http://www.n-tv.de/politik/Familienministerium-warnt-vor-Younow-article14535746.html>

IN LATINUM CONVERTIT NICOLAUS GROSS



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>

<http://www.zeit.de/digital/mobil/2012-07/smartphone-name-framing>

Quaeri melius verbum ad sophophonum denominandum

Num sophophona melius denominantur *investigatores* an *androidea*? An prorsus aliter? Quidam tutores datorum Americani quaerunt verbum novum ad moderna telephona mobilia denominanda. Scripsit *Patricius Beuth*, Latinè reddidit *Nicolaus Groß*.

d.17. m.Iul. a.2012 h.12:27

Plus 1,3 milionesies magistratûs Civitatum Unitarum anno proximo praeterito conati sunt exquirere, possessores sophophonorum qualia haberent data coniunctionum sedumque retialium, i.e. plus ter milies quingentesies in die. Hoc consequitur ex responso Americanorum operatorum communicationis mobilis, qui interrogati erant a congressu. Numeri autem veri etiam sunt maiores, nam negotiatio *T-Mobile* cum non parata esset hanc rem accuratius pandere, eius conatûs exquirendi in computando non sunt respecti.

His numeris consideratis quaeras: Cui telephona mobilia magis prosunt, possessoribus an persecutoribus poenalibus? Num adhuc consentaneum est, ut eadem vocemus telephona mobilia aut ipsa sophophona? Convenitne aliquem appellare σοφόν, i.e. callidum, qui utitur instrumento, quo semper proditur, ubi simus, quid agamus in reti, quibuscum hominibus nuntios communicemus?

Hi numeri communicationis interceptae cum publicati sint, quidam Americani conantur his instrumentis nova nomina imponere, quibus moneant de effectibus illorum minus iucundis. Scilicet nomen valeat ad sententiam, quam emptor mercis habeat ad eandem.

Peter Maass et *Megha Rajagopalan* diurnarii in ephemeride, q.d. *New York Times*: »Si tu« inquirunt »instrumentum sacculo tuo impositum putas esse telephorum mobile – oportet iterum de hac re deliberes. Reverâ hoc instrumentum est *investigatum (*tracking device*), quo forte etiam potes telephorare«. lidem hoc dicunt ad *Paulum Ohm* provocantes, professorem Universitatis Civitatis Coloratae, qui sophophona denominat *tracking devices*, i.e. instrumenta investigatoria.

Iacobus Appelbaum, penetrator computatralis (*hacker*), a diurnariis ephemeridis *Zeit online* interrogatus, hanc sententiam expressit verbis similibus: »Legislatores nondum cognoverunt nos, si sophophono emendo accipimus *investigatum, quo etiam telephorare possumus«.

Eben Moglen autem, professor Universitatis Columbianae et ex multis annis activista tutelae datorum programmatumque liberorum,

sophophona appellat machinas androideas, quae nobis sui possessoribus utantur tamquam manibus pedibusque. *Moglen*: »His androidibus« inquit »omnia videntur, locus, quo simus, cognoscitur, ratio, quae intercedit inter nos aliosque homines aliaque automata androidea, administrant flumen informationum nos circumfluens«.

Praeter problemata tutelae datorum *Peter Maas* et *Megha Rajagopalan* aliam quoque causam afferunt, qua sophophonis novum nomen sit imponendum: Operatores communicationis mobilis, quibus nomen est »O2«, invenerunt possessores sophophonorum quinto tantum loco his instrumentis uti telephonando. Ergo nomine, q.e. *-phone*, finis sophophoni praecipuus non denominatur.

Quonam autem nomine in futurum sophophona erunt appellanda? *Maas* et *Rajagopalan* proponunt nomen *trackers* (quod valet investigatores sive persecutores) adhibendum. Ambo auctores dicunt hoc nomen esse neutrius partis, quia non solum spectet ad interceptiones publicas molestas, sed etiam ad facultates instrumenti iucundas. Nam talium instrumentorum usores posse etiam in reti investigare informationes aut statum computi sui argentarii. Scilicet dubium sit, num his argumentis fabricatoribus persuaderi possit, ut in futurum nova sophophona vendant sub nomine investigatorum.

Jeff Jarvis, doctor rei diurnariae et histologista (*blogger*) aliud nomen sophophonorum novum in regione anglophonicâ adhibendum proponit. Cui viro placet Germanos telephona sua mobilia appellare *Handys*. Non solum, quia telephona mobilia ad manum apta sint, sed etiam, quia vis verbi propria, i.e. vis utilitatis, perfectê quadret: sophophona esse commoda, personalia necnon »*nice to have*«, i.e. utile et iucundum esse eadem habere.

Restat ut memoremus rem a *Jarvis* non memoratam: Notio utilitatis quadrat etiam ad problema in initio commemoratum. Nam utilia sunt talia instrumenta non solum possessoribus, sed etiam magistratibus persecutoribus poenalibus semper datorum cupidissimis. ---

ADNOTATIO TRANSLATORIS: Nos autem defensores Latinitatis Vivae, cum multum gaudeamus, quod nunc tandem nomen horum instrumentorum aptum et utile inventum, q.e. *sophophonum, ab auctoribus Latinis iam frequentari, nequaquam volumus nomen Latinum denuo novare!!!

HANC RELATIONEM

D. 17. M.IUL. A. 2012 H. 12:27 DIVULGATAM

QUAE INSCRIBITUR

»FRAMING – GESUCHT WIRD EIN BESSERES WORT FÜR SMARTPHONE«

SCRIPSIT

PATRICK BEUTH

RELATOR EPHEMERIDIS INTERRETIALIS,

C.T. “ZEIT-ONLINE”

<http://www.zeit.de/digital/mobil/2012-07/smartphone-name-framing>

IN LATINUM CONVERTIT

NICOLAUS GROSS



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

SYMBOLUM APPLEANUM UNDE DERIVATUM SIT



Symbolum negotiationis *Apple* irideum a.1976-1998



ALAN TURING (1912-1954)
Britannus logicus, mathematicus,
cryptoanalyticus, informaticus



**ECCE NIVEOLA MĀLUM COMESURA
VENENATUM**

Una ex maximis et illustrissimis negotiationibus huius orbis terrarum est **Apple Incorporated** ['æpəl.ɪŋk], Californiana negotiatio computatrorum et sophophonorum a.1976 a *Steve Jobs* et *Steve Wozniak* et *Ron Wayne* condita.

Quaeramus, unde nomen et symbolum huius negotiationis, id est m̄alum, derivatum sit. Quare m̄alum est admorsum? Et quid valent colores iridei?



Ecce BENEDICT CUMBERBATCH in cinemate, c.t. »Imitation game«, personam gerens ALANI TURING viri, qui fuit felix ingenio, exitu infelix

Nonnulli contenderunt h̄oc symbolo Appleano alludi ad **Alan Turing** (1912-1954) Britannum mathematicum et cryptoanalyticum, qui optimē meritis est de artibus cryptoanalyticā atque computatrali excolendis. Idem vir erat felix ingenio, exitu infelix. Inter alterum bellum mundanum unā cum aliis revelavit n̄otas secretas illius »*Enigmatis*«, id est machinae cryptographicae, qua Germani nuntios militares cryptographare (sive brevius: *cryptare) solebant; n̄otis *apocryptatis¹ nuntii radiotelegraphici Germanorum a Britannis eiusque sociis intercepti sunt, ut illorum classis submarina et copiae in Africā pugnantes detrimenta caperent gravissima.

¹ **notae secretae** i.q. angl. secret code; theod. Geheimcode; **machina *cryptographica** i.q. angl. cryptograph; theod. Verschlüsselungsmaschine; ***cryptographare** sive brevius ***cryptare** i.q. angl. to scramble, encode, encrypt, cipher, codify, encipher; theod. verschlüsseln; fr. crypter, (en)coder; hisp. codificar, encriptar, cifrar; ital. codificare, criptare, cifrare; ngr. κωδικοποιουν, κρυπτογραφώ; - ***apocryptographare** sive brevius ***apocryptare** i.q. angl. decipher, decode, decrypt, uncode; theod. entschlüsseln, dechiffrieren; fr. déchiffrer, décoder, décrypter; hisp. descifrar, descodificar; ital. decifrare, decodificare, decriptare; ngr. αποκρυπτογραφώ. -.

Sed bello finito gubernantes Alani opera cryptographica retinebant secreta eidemque pro meritis nequaquam gratias egerunt. A.1952 hic vir ingeniosus magnâ calamitate afflictus est. Alanus, qui esset cinaedus, concubinum habebat quendam iuvenem undeviginti annos natum. Is iuvenis cum domum Alani effregisset, ab eodem astynomis est denuntiatus, quibus enarravit, qualis ratio inter se Alanumque intercederet. Illâ aetate cum venus aversa in Angliâ – sic ut in plerisque ceteris terris - lège esset severissimê vetita, Alanus accusatus est crassae impudicitiae venereaeque perversionis. Iudex eum iussit eligere, utrum poenam unius anni lueret custodiarum an subiret therapiam hormoniam. Alanus therapiam subiit, qua eius corpus effeminatum atque debilitatum est, eius anima tam vehementer depressa, ut a.1954 mortem sibi conscisceret. Interemit autem se ipsum eo modo, quo in notissimâ fabellâ Grimmianâ Niveola puella narratur a maleficâ sopita esse: Alanus Turing animam efflavit mâlo admorso, quod ipse veneno imbuerat².


Vitam huius viri ingeniosi infelicem cum levissimê tetigerimus, revertamur ad symbolum negotiationis Appleanae. Nonnulli senserunt mâlum Appleanum referendum esse ad Alanum Turing, quia îdem de arte computatrali optimê meritis mortem sibi conscivisset eodem fructu necnon quia colores iridei, quibus mâlum Appleanum ornatum esset, monerent symboli communitatis cinaedorum, quod esset arcus caelestis³.

At haec symboli Appleani explicatio refutata est ab ipso **Steve Jobs** (1955-2011) dicente se exoptare quidem, ut illo tempore, quo conditores negotiationis symbolum confinxissent, de meritis Alani Turing deque eius

² De Alani Turing vita meritisque scientificis refertur in symbola Wikipediana: https://de.wikipedia.org/wiki/Alan_Turing

³ cfr Patrick D. Hopkins: *Sexmachine: Readings in Culture, Gender and Technology*, Indiana University Press. 1998, p.472: „Turing’s suicide method, eating an apple saturated with cyanide, bizarrely prefigures the Apple computer logo.“ – cfr Justin Cassell & Henry Jenkins: *From Barbie to Mortal Kombat: Gender and Computer Games*. Massachusetts Institute of technology 1998, p.257: “Turing was found dead of cyanide poisoning at forty-three. By his bedside was an apple from which a few bites had been taken. One might think of Apple computers’ logo, a rainbow-colored apple proudly displaying its missing “byte” as associating the gay father of computing with the thorny questions of gender central to his ‘imitation game’.” – cfr David Leavitt: *The man who knew too much. Alan Turing and the invention of computers*. 2006: “A rumor circulates on the Internet that the apple that is the logo of Apple Computers is meant as a nod to Turing. The company denies any connection; on the contrary, it insists, *its* apple alludes to Newton. But then why has a bite been taken out?” – cfr Theodore Eisenberg e.al.: *Flaws and Idiosyncrasies in Mathematicians: Food for the classroom?* P.8 in: *TMME* (= *The Montana Mathematics Enthusiast*), vol.5, n.1, Jan.2008: “2.7. Alan Turing (1912-1954) without a doubt Alan Turing helped England and its allies win World-War-II. Turing was the head of a team that cracked the Enigma code what led to Hitler’s defeat... Some say that the icon of Apple Computers is a tribute to Turing and his genius”. -

morte tragicâ cogitavisset, sed se tum de his rebus non deliberasse⁴. Reverâ Appleani symbolo suo originali a.1976 a *Ronaldo Wayne* depicto alluserunt ad illam narratiunculam, quâ **Isaac Newton** (1643-1726) inspiratus est ad theoriam gravitationis inveniendam eo, quod in caput eius sub arbore mâlo sedentis fructum deciderat⁵.



ECCE SYMBOLUM NEGOTIATIONIS APPLE ANNI 1976:

In quo aspicitur Isaac Newton sub arbore sedens mâlo in caput suum cadente

⁴ cfr <http://mentalfloss.com/article/64049/did-alan-turing-inspire-apple-logo/>: "...When actor Stephen Fry once asked his good friend Steve Jobs if the famous logo was based on Turing, Jobs replied, "God, we wish it were."."

⁵ <http://www.edibleapple.com/2009/04/20/the-evolution-and-history-of-the-apple-logo/>: "The first Apple logo was designed in 1976 by Ronald Wayne, sometimes referred to as the third co-founder of Apple. The logo depicts Isaac Newton sitting under a tree, an apple dangling precipitously above his head. The phrase on the outside border reads, "Newton... A Mind Forever Voyaging Through Strange Seas of Thought ... Alone.""

Haec narratiuncula est una ex anecdotis historiae scientiarum celeberrimis. Docti semper dissentiebant disputantes, quantumnam veri eidem inesset. Huius anecdotae autem testis est *William Stukeley*, qui a. 1752 opus divulgavit, c.t. »*Memoirs of Sir Isaac Newtons Life*«. In hac vitâ *Stukeley* scribit *Newtonum* ipsum sibi hanc rem tempore vernali anni 1726, post meridiem »*in umbrâ nonnullarum arborum mâlorum*« secum sedentem theamque bibentem narravisse. *Newtonum* dixisse ideam gravitationis sibi in mentem incidisse simili in circumstantiâ⁶.

Se enim a.1660 in horto suo, qui situs esset in Angliae parte septentrionali, in vico suo patrio desidentem muginatum esse, cum subito vidisset mâlum de arbore cadens. *Newtonus* enim redierat in vicum suum patrium, cum Universitas Cantabrigiensis, ubi rebus pernoscendis studebat, peste grassante esset clausa.

Apud *Stukeleyum* *Newtonus* quaerit: »*Qua de causâ tale mâlum semper humum cadit ad perpendicularum, . [...] Quare numquam cadit ex obliquo aut sursum? Sed semper constanter versus terram mediam?*« *Stukeleyo* teste *Newtonum* cogitavit hoc fieri, quia mâlum a terrâ attraheretur. Quia materiae inesset vis attractiva.

Hodie adhuc sub conclavi ante Collegium Trinitatis Cantabrigiense sito stat arbor mâlus, quae narratur esse propago illius arboris *Newtonianae*. In horto quoque eiusdem universitatis Britannicae botanico stat quaedam mâlus, cuius quoque origo refertur ad inventorem gravitationis illustrissimum...

At anno sequente *Steve Jobs Rob(erto) Janoff* designatori mandavit, ut novum symbolum crearet⁷. Idem *Robertus* affirmat hîc symbolo novo se neque ad *Turingianam* neque ad *Newtonianam* illam fabulam alluisse. Locum autem fructûs admorsum a se additum esse, ne mâlum, si symbolum parvum esset, confunderetur cum ceraso aut alio fructu. Mâlum coloribus a se esse ornatum, quia *Apple II* fuisset primum computatrum domesticum, in cuius othonâ monstrari possent colores⁸.

⁶ <http://www.spiegel.de/wissenschaft/natur/historisches-manuskript-der-apfel-des-isaac-newton-a-672494.html> Montag, 18.01.2010: „Der Apfel traf sein geniales Haupt - und brachte ihn auf die Idee mit dem Gravitationsgesetz. Jedes Schulkind lernt diese berühmte Anekdote über den Physiker Isaac Newton. Sie geht zurück auf eine 250 Jahre alte Biografie des Forschers, die nun erstmals von der Royal Society digitalisiert online veröffentlicht wurde....“

⁷ <http://www.adweek.com/news/technology/myths-and-mysteries-apples-apple-162098>: “Apple's apple was born when Jobs decided that the company's original logo (a woodcut by co-founder Ronald Wayne depicting Sir Isaac Newton) was far too complex to be memorable. So he hired Palo Alto, Calif., designer Rob Janoff. The brief (if that's even the term) was four words: "Don't make it cute."

⁸ cfr http://creativebits.org/interview/interview_rob_janoff_designer_apple_logo Interview with Rob Janoff, designer of the Apple logo, Mon, 2009-08-03 10:14.- ... the real solid reason for the stripes was that the Apple II was the first home or personal computer that could reproduce images on the monitor in color.... CB: What does the bite in the apple represent? Is it a reference to a computin term byte? Is it a reference to the biblical event when Eve bit into the forbidden fruit? Is the fruit itself

Scimus nunc, unde negotiatores Appleani symbolum suum illustrissimum derivaverint. Quomodo autem appellemus instrumentum Appleanum omnium notissimum, illud *i-phone*? Ecce nomen Latinum huius generis sophophonorum speciale:

***mēlophónum**, -ī n. *i-phone* (gr. μήλον = lat. mālum, angl. apple, theod. Apfel; fr. pomme; hisp. manzana; ital. pomo, mela; ngr. μήλο)



STEVE JOBS (1955-2011)
melophonum ostentans,
q.d. »i-phone«

Restat, ut explicemus illam litteram „i-“, quae praeponitur nomini melophoni originali. Haec littera a *Ken Segall* Appleano cooperatore commendatorio electa spectat ad varia adiectiva anglica, qualia sunt *individual* et *imaginative* et similia...⁹

Haec habui, quae exponerem de symbolo mālino illo, quo decorantur computatra atque sophophona orbis terrarum illustrissima. Dixi. N.G.

referencing the discovery of gravity by Newton when an apple fell on his head while sitting under the tree? - RJ: They are really interesting, but I'm afraid it didn't have a thing to do with it. .. It's a wonderful urban legend. ... I designed it with a bite for scale, so people get that it was an apple not a cherry..."

⁹ <http://blog.dictionary.com/ipod-droid-nook-kindle/>: The "i" in various Apple products originated with an advertising veteran named Ken Segall, who also created Apple's "Think Different" campaign. According to an interview on the blog Cult of Mac, Segall intended the "i" to suggest not just "Internet" but a host of other i-words: "It also meant individual, imaginative and all the other things it came to stand for."

**HANC DISQUISITIUNCULAM
QUAE INSCRIBITUR
»SYMBOLUM APPLEANUM UNDE DERIVATUM SIT«**

SCRIPSIT

NICOLAUS GROSS



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

EN PARENTES FILIOLI AMANTISSIMOS !

»MAMMA CONVENTUM HABET OFFICIALEM.

ECCE TIBI MISIT TACHYGRAMMA

UT BENE DORMIAS !«

DE USU SOPHOPHONI INTERROGATUS QUID RESPONDERIM¹

QUAESTIO:

Quid tibi videtur de sophophonis, si quidem usor sibi conscius est, qualis sit alea in iisdem adhibendis ideoque iisdem utitur prudenter?

RESPNSUM:

Si quam commodissimê respondere vellem, dicerem: Si quis sibi conscius est aleae, quae inest sophophono, si ideo hōc instrumento utitur prudenter, - quidnam est causae, cur eidem ab usu sophophoni dissuadeam? At doleo quod, cum cottidie, praesertim in scholâ, videam, quomodo homines hōc instrumento utantur, non possum, quin dicam multos ūti sophophono parum prudenter. Et quia discipuli me iterum iterumque alloquentes rogaverunt, ut dicerem, de hac re quid sentirem, hōc loco hanc rem aliquatenus fusius tractabo. Cum neque mediorum ratione speciali doctus sim neque artis computatralis communicationisve electronicae, hōc loco non studebo subtilitates talium instrumentorum technicas perscrutari, sed quaeram, quantum et quomodo valeant sophophona ad homines, qui sunt prope me, praesertim quibus in scholâ intersum. Scilicet fieri non posse, ut praecepta proponam universê apta atque utilia neque problematum solutiones perfectas. Sed spero nonnullos saltim discipulos et parentes et magistros, si verba mea legerint, aliquatenus accuratius et studiosius inter se collocuturos de ratione, quae intercedat inter sophophonum et scholam.

Supervacaneum est sophophonum defendere. Non necesse est hōc loco tractare, quatenus idem instrumentum sit utile. Usores sophophonorum nequaquam sunt minoritas hominum, quae supprimatur aut iuribus privetur. Nam toto in orbe terrarum vivunt plures possessores talis instrumenti quam secessûs privati, quo secedant ad requisita naturae!²

¹ cfr »HumBook«, periodicum discipulorum Ulmensis Gymnasii Humboldtiani, Editio hiemalis a.2014, p.18: "Frage: Was halten Sie von Smartphones, unter der Voraussetzung, dass der/die Benutzer(in) sich der Risiken im Umgang mit diesen bewusst ist und dementsprechend damit umgehen kann? Eine Frage von Daniel Spülbeck." – Responsum invenitur p.18-24.

² cfr http://blogs.wsj.de/die_seite_drei/2013/04/05/es-gibt-mehr-handys-als-toiletten-auf-der-welt/. – secessus, - ūs m. cfr Karl Ernst Georges, Ausführliches Lateinisch-Deutsches Handwörterbuch, 14.ed., Hannover 1976, tom.II, col.2556, s.v. secessus, II) a)α): „der Abtritt, VULG.Matth.15,17. Marc.7,19sq. HIERON.epist.ad Tit.2,11.: daher der Stuhlgang, ORIBAS.frgm. Bern. 2,35.p.2,18 H.“ - ad requisita naturae: euphemismus, qui iam apud Sallustium invenitur: Georges, op.mem., col.2338, s.v. requisita II): „das Bedürfnis, die Notdurft des Leibes, proficisci ad requisita naturae (um seine Notdurft zu verrichten), SALL.hist.fr.inc.54(20): u. so

Totus mundus videtur esse magnus globus *Googleanus* et nos ferê omnes auribus obturatis torpidisque oculis febriculosus spectamus in parvulum othonidium³ rectangulum. Equidem cottidie in laophoro tramineque ferriviario video homines sic instructos nec solum ibi. Num hoc bonum est? Apparet plerosque discipulos hanc quaestionem affirmare – aut de hac quaestione omnino non deliberare.

At his verbis non universê vitupero usum sophophonorum. Non sum osor machinarum⁴; nolo redigi ad statum rationis technicae annorum sexagenariorum septuagenariorumque, quibus ego scholam frequentavi. Magni aestimo commoda communicationis digitalis. Discipuli quidem sciunt me libenter ūti epistoliis electronicis ad institutionem mei fovendam atque supplendam, discipulis meis linguae Latinae soleo mittere epistulas meas circulares, quas voco *Leoninas*.

Anno proximo praeterito in aliquo fasciculo perîodici, quod inscribitur *Chimborazo* (quem numero carere doleo) p.26 symbolam invêni, cuius titulus fuit »*Num nos omnes obbrutescemus?*«⁵. Auctor eiusdem his verbis incipit scribere:

»Saepe quidem dicitur dementia augeri mediis digitalibus, velut sophophonis computatrisve. In nostrâ quoque scholâ partim haec sententia profertur, etiam a Doctore Groß. At quaerendum est: Num talis morbus cerebrialis reverâ exstat, et si exstat, quantum est periculum, ne in eundem incidamus? .. Sed ut in omnibus ferê rebus, etiam in hac sententiae sunt variae. Unâ ex parte sunt aliqui, quibus sit persuasissimum mediis digitalibus in dies magis adhibendis homines etiam etiamque obbrutescere. Factio eorum ducitur a Professore Doctore Doctore Manfredo Spitzer, direttore nosocomii psychiatrici Ulmensis. Altera pars quaestionem studet perquirere ratione scientificâ. Re autem perquisitâ inventum est pervagatione retiali (Internetsurfen) cerebrum nequaquam detrimentum capere. Immo, e contrario hanc pervagationem cerebro prodesse eo, quod praeveniat morbum Alzheimerianum.

ad requisita naturae discedere, SPART.Caracalla 6,6: ad requisita naturae secedere, AMM.23,6,79: ad requisita naturae foras exire, AUG.de ordin. 1,8,22.” -

³ *othonidium, -ii n. est deminutivum *óthonae: cfr *óthona, -ae f. theod. Bildschirm, Display; angl. screen, display, monitor; ngr. οθόνη (του υπολογιστή). – cfr Liddell/Scott, Greek-English Lexicon, Oxford 1983, p.1200: “ὄθρον-είδιον, τό, Dim. of ὀθόνιον, POxy.1679.5 (iii.A.D., pl.) ὀθόνη, ῥή, *fine linen*, in HOM. always pl., *fine linen cloths*, Od.7.107; ... sg., *a cloth*, Act.Ap.10.11, 11.5, Gal.II.134, 6.795. ... ὀθόνιον, τό, Dim. of ὀθόνη, *linen cloth*, Hp.Acut.7, Ar.Fr.104, Thphr, HP 7.3.5., ...” – Translatio a re cinematographicâ ad computatrallem facta invenitur et in anglico sermone (*screen*) et in neograeco (οθόνη). Liceat etiam in Latino distinguere *óthonam *cinematographicam ab *óthonâ computatri sive televisorii. Ceterum licet secundum exemplum palaeograecum confingere deminutiva, q.s. *óthonium et *othonidium.

⁴ quales saec. XIX. in Angliâ fuerunt *Luddites* et *Swing Riots*. Theod. *Maschinenstürmer*.

⁵ originaliter: „*Werden wir alle verblöden?*“ (cfr HumBook, op.mem., p.18).

Equidem ipse nescio, quid de hac re sentiam... Quod attinet ad sophophona... licet multi nostrum nimis saepe „torpidis oculis spectent in ista parvula othonidia“ (ut ait Doctor Groß), sed dummodo hanc rem tractas moderatê, haud illepidum est eâdem tempus terere...«

Apparet hunc auctorem periodici *Chimborazo* de auctoritatibus⁶ haud falsâ cum reverentiâ loqui. At si îdem tam audax est, ut eo quod Professore et directorem nosocomii psychiatrici Ulmensis opponit illis hominibus rem scientificâ ratione tractantibus, dicat *Manfredum Spitzer* esse rei scientificae parum peritum, oportet afferat argumenta gravia – qualia cum non afferat, tum praecipuê confitetur se nescire quid de hac re sentiat. Istaec autem est contradictio. Et cum dicit »haud illepidum esse ûti sophophono, dummodo hanc rem tractas moderatê«, nos fraudat nuntio gravissimo: Quantonam modo utimur sophophono, si utimur »moderatê«?

Verbis sequentibus studebo explicare, quare mihi persuasum sit ex sophophono invento (i.e. ex telephoni mobilis retisque coniunctione, propter quam praedicari solet *Steve Jobs*), reverâ discipulos magistrosque potius quam utilitatem cepisse *detrimentum*.

Quod attinet ad scientistas⁷, interim iam pridem media digitalia non solum vituperantur a *Manfredo Spitzer*. Praecipuê *sophophonomania* compluries ab scientistis perquisita est. Exempli gratiâ duo investigatores Universitatis Bonnensis, *Dr. Christianus Montag* psychologus et *Alexander Markowetz* professor disciplinae informaticae, programme computatrali a se ipsis invento, quod appellant »*App Mental*«, perquisiverunt, quoties usores uterentur suo sophophono⁸.

Christianus Montag dicit inventas esse res terribiles. Sophophonum octogies in die expediri. Quartam ferê partem hominum probandorum sophophono usam esse diutius quam per duas horas in die. Usu sophophoni immoderato effici posse obnoxietatem morbosam. Ut cupiditas satietur, in dies maiorem consumptum esse necessarium. Similiter ac drogomanicos etiam homines in sophophonum morbosos, si eodem diutius non utantur, patefacere symptomata abstinentiae⁹.

⁶ Verbum auctoritatis plurali quoque forma invenitur: cfr Georges, op.mem., tom.I, col.708, s.v. auctoritas: “β) meton. eine Autorität = eine angesehene, einflußreiche Person, auctoritates principum coniurationis colligere, einflußreiche Persönlichkeiten unter den Häuptern der V., CIC.Sull.37; vgl. CIC.Deiot.30; Marc.10. -...”

⁷ *scientista, -ae m. angl. scientist. – cfr <http://www.jstor.org/stable/23569455?seq=1> #page_scan_tab_contents: In quibus deficiant scientistarum methodus et doctrina P. Hoenen *Gregorianum*, Vol.9, No. 3 (1928), pp. 443-460.

⁸ <http://www3.uni-bonn.de/Pressemitteilungen/009-2014>

⁹ theod. Entzugserscheinungen, angl. withdrawal symptoms; fr. les symptômes de sevrage; hisp. síntomas de abstinencia; ital. sintomi di astinenza; ngr. συμπτώματα στέρησης

Necnon similiter ac homines drogomanici in sophophonum morbosum vix umquam desinunt deliberare de medio maniae suae, id est de sophophono.

Nunc ad vitam scholae cottidianam veniens verba afferam cuiusdam epistulae electronicae, quam nonnullis annis ante accepi a discipulo classis decimae, cui nomen imponam, quod convenit themati nostro: voco enim eum *Dominum Sophum* (a Graeco verbo, q.e. σοφός, i.e. callidus; originaliter: »*Mr. Smart*«). In hac epistulâ electronicâ idem discipulus sat fusê explanat, quibusnam rebus sophophono suo faciendis animus suus suavissimê affectus plurimum delectetur. Patet Dominum Sophum sophophono suo intimo ex animo deditum esse: »*Omni die laetor de sophophono meo eoque multo plura efficere possum, quod permulta loco mei perficiuntur a sophophono. Omni mâne sophophonum cantilenam canit, ut ego expergiscam. Digito semel tantum impresso sophophonum scit, utrum scholam initurus sim horâ primâ an secundâ an tertiâ ideoque scit, quando sim expergefaciendus. Deinde sophophonum mihi indicat, qualis sit tempestas et quo mihi eundem sit proximo tempore....*«

Deinde Dominus Sophus sat fusê narrat, quomodo a sophophono suo inter totum diem adiuvetur, praesertim cum idem instrumentum affabile decernat, quid sibi faciendum sit et quo tempore. At ea quae Sophus enumerat, fieri etiam possunt simplici calendario analogico adhibito. Quatenus sophophonum ei necessarium est ad itinera laophoro et birotâ faciendâ? Num directiones talium itinerum toties mutat? Cur tot incepta ei certis temporibus sunt praedisponenda? Cur is non desinit epistolia electronica et tachygrammata mittere, quamvis factum sit nihil extraordinarium? Cur tam saepe ei photographandum est? Cur in laophoro semper ei audiendi sunt modi musici? Quidni facit pensa sua domestica, quidni legit librum bonum? Quidni aliquid discit (e.g. chartas vocabulorum)? Quidni colloquitur cum homine iuxta se sedente – oculos illius inspectans – omnino extra rete computatrale versans?

Dominus Sophus, cum abundanter exposuerit sophophonum sibi dilectissimum tamquam adiutorem suasoremque res satis cottidianas satisque triviales diligentissimê dirigere atque praedisponere (quae omnes mihi videntur etiam sat commodê fieri posse sine ullo adiumento digitali) haec ferê verba facit quae sequuntur:

»*En rem omnium praestantissimam: Nisi scio, quomodo aliquod verbum in Anglicum convertatur aut quomodo aliqua inflammatio appelletur aut quomodo fiat photosynthesis aut quomodo exorta sit galaxis nostra, nihil mihi faciendum est nisi inspicio meum sophophonum. Hac autem ipsâ de*

causâ tibi displicent sophophona. Iisdem tibi aufertur privilegium scientiae generalis. Subito omnis homo scit omnia et saepe melius. Utrum eiusdem rei causâ nunc pauciores res possimus memoriae nostrae mandare necne, omnino non rēfert, nam nos omnes scimus hac differentiâ numquam compensari progressum, quem fecimus sophophono adhibito«.

Magister autem epistolam Domini Sophi perlegens hōc loco, si tardissimē, non iam iucundē se habet. Nam de quo privilegio scientiae is discipulus loquitur? Num antequam sophophonum est inventum, discipulo vetitum erat, ne uteretur bibliothecâ? Num nunc res sciendas non iam docemus discimusque »*acido cum sudore*«, ut ait Faustus ille Goetheanus, sed othonidio sophophoni tactili¹⁰ paucies impresso? Utinam tam facile esset! At schola non est *Cucania* vel *Bibesia et Peredia*, ubi *porci solent ambulare cocti*.¹¹ Nam fataliter errat is, qui credat lemmate aliquō ratione Googleanâ quaesito et explicatione in othonidio sophophoni perlectâ se notionem lemmati subsitam iam intellectam memoriae suae temporis longioris imposuisse, id est se rem iam verē *didicisse!* Hoc enim ipsum plerumque non est factum. E contrario discipulus eâ ratione fallaci, quâ sibi conscius est sacculo suo inesse repertorium scientiae universale facillimum accessu, multo minus paratus est ad rem studiosē atque laboriosē discendam. At nisi hōc modo didiceris, omnino non fieri poterit, ut ratione consentaneâ utaris repertorio scientiae retiali. Nam sine scientiâ certâ et accuratâ nescimus ex sescentis vinculis (*links*) in othonidio apparentibus, quae continere possunt aut res sapientissimas aut stultissimas, prudenter eligere aptissima. Nec poterimus, quin verē, id est quam laboriosissimē atque diligentissimē, discamus, nisi volumus fieri servi etiam etiamque stultiores machinarum, quae fiunt etiam etiamque intelligentiores vel intelligentiarum artificialium (quales dicuntur). Licet aliquis sentiat tali sententiae subesse quendam animum nimis simplicem usu atque aetate parum doctum, qui res technicas aspernatus studeat abolere. At îdem oportet legat ea, quae *Stephanus Hawking* physicus illustris dicit de intelligentiâ artificiali futurâ:

»Intelligentia artificialis si perfectē exulta erit, fieri poterit, ut genus humanum intereat. Nam intelligentia artificialis quadamtenus se ipsam faciet paratam seque celerius celeriusque mutabit et excolet. At in locum hominum lentitudine evolutionis biologicae impeditorum, cum non

¹⁰ *othonīdium tāctile angl. *touchscreen*.

¹¹ +Cucania, -ae f. (cfr Carmina Burana, abbas Cucaniensis). – angl. *Cockaigne*; theod. *Schlaraffenland*. Ferē idem valent nomina Plautina, q.s. *Bibesia et Peredia* (PLAUT. Curculio 444). Locutio, q.e. Porci ambulant cocti, invenitur apud Petronium: PETRON. 45,4.

*potuerint intelligentiam artificialem sequi, supponetur intelligentia artificialis.*¹²

Si ergo nos homines – saltim antequam definitê victi erimus ab intelligentiâ artificiali – servare volumus nostram libertatem et dignitatem et individualitatem, necesse erit nos pergere res sciendas nobis proprias facere – pro eo, ut nihil faciamus nisi easdem legamus de othonidio sophophoni nostri.

Scilicet nos quoque velimus in scholâ res sciendas a discipulis percipi perceptionemque examinari ratione iustâ, id est non accipi bonas notas scientiâ simulatâ. At sophophonis adhibendis fieri possunt nova genera fraudandi, quibus illae actiones discipulorum fraudulentae aetate analogicâ solitae valdê superantur¹³ et quibus denique etiam violatur sensus iustitiae plerorumque discipulorum. Novâ ratione technicâ fieri possunt etiam novae rationes fraudandi. E talibus fraudibus novi generis serius aut citius consequentur nova genera custodiendi, quibus convictio discipulorum magistrorumque scholaris certê non fiet facilior.

Peiora sunt genera usûs sophophoni scelerati, e.g. molestatio retialis aut *pulsatio laetifica*, i.e. pulsatio hominis sophophono cinematographata et irretita¹⁴. Sophophonomaniâ quanta mala effici possint, docet nos res, quae facta est in gymnasio oppidi *Bad Pyrmont*, quod situm est in Saxoniâ inferiore: Ibi quidam discipulus conatus est magistrum suum corrigiâ calcei strangulare, quia ille sibi abstulerat sophophonum.¹⁵

In dies plures homines cum aliis vix iam communicant nisi ratione digitali, id est, vix iam habent colloquia directa, quae fiunt sine computatro domestico aut gremiali aut sophophono, sed cum colloquentium vultibus et gestibus et propinquitate corporali. Cum colloquia verê naturalia in dies rarecant, periculum est, ne animae hominum flebiliter pauperescant. At Dominus Sophus, discipulus ille sophophoni sui amator, flagrantissimê defendit instrumentum sibi dilectissimum:

¹² cfr Spiegel 50/2014, 8.12., p.124: „Wenn die künstliche Intelligenz erst vollständig entwickelt ist“, sagte Hawking der BBC, „dann könnte das das Ende der Menschheit bedeuten. Die KI würde gleichsam sich selbst betriebsbereit machen und sich schneller und schneller verändern und entwickeln. Die Menschen wären durch die langsame biologische Evolution begrenzt, sie könnten nicht mithalten und würden ersetzt.“

¹³ http://praxistipps.chip.de/spicken-mit-android-handy-die-besten-tipps_29923

¹⁴ orig. *happy slapping*. Talis pulsatio nuper Tubingae facta est: Grex puellarum condiscipulam crudelissimê pulsavit, hanc pulsationem sophophono cinematographavit cinemaque irretivit: <http://www.stuttgarter-nachrichten.de/inhalt.nach-schlaegerei-in-tuebingen-maedchengang-laedt-pruegelvideo-hoch.133365e5-dcda-4c82-816f-a4ecdfaed120.html>; cfr <http://www.abendblatt.de/hamburg/article858033/Sie-pruegeln-verge-waltigen-und-filmen-dabei.html>.

¹⁵ <http://www.spiegel.de/schulspiegel/lehrer-mit-schnuersenkel-gewuert-schueler-aus-bad-pyrmont-fliegt-a-997098.html>. Discipulo autem contigisset, ut magistrum corrigiâ interficeret, nisi nonnulli condiscipuli illum servavissent.

»Scilicet mihi quoque saepe id malum esse videtur, quod multi mālunt per totum vesperum sophophoni usi desidēre quam colloquiorum esse participes, sed non puto in culpā huius mali esse sophophona. Reverā ii, qui colloquia effugere volunt, sophophono abutuntur tamquam saepimento et illi, qui colloquia petunt, eodem abutuntur tamquam hirco emissario. At in eo omnes verum problema negligenter praetereunt: Nemini placet conventus classarius«.

Hôc loco Dominus Sophus nonne confundit causam cum effectu?

Îdem indignatur, quod ego vitupero tale animal ad adiuvandam paratissimum, quale est sophophonum: »Instigatio tua adversum sophophona paulatim mihi molesta fit mihi que ista ferê tam stupida esse videtur, quasi aliquis instiget adversum chartulas compactas, quia homines chartulis compactis usi dedidicerint res memoriae mandare. Aut instigatio adversum prima instrumenta aetatis palaeolithicae, quia homines talibus instrumentis usi dedidicerint cremia sua concîdere dentibus«¹⁶.

Potestne *instigari* adversum sophophona? *Instigari* potest adversum animalia viventia, praesertim homines, qui participes sunt minoritatis alicuius, quae periclitatur, cui pericula imminet. At possessores sophophonorum sunt maioritas potentissima.

Si nobis persuasum est usui sophonorum inesse quandam aleam, multosque hanc aleam aut ignorantes aut pravê adhibentes sibi ipsis aut aliis damnum inferre, debemus quaerere, quid facere possimus, ut hanc aleam teneamus quam minimam. Is qui quaedam mala esse demonstravit, oportet conetur proponere aliqua remedia, quibus malis medeatur. Scilicet in hac re proponi non posse praecepta absolutê valentia et solutiones problematum subitaneas. Sed ea quae nunc commendabo, mihi haud videntur esse prorsus inutilia.

A) Nonne utilis esset dies a sophophono vacuus?

Talis dies esset quadamtenus ieiunium mentis salubre, animae corporisque (praesertim oculorum) recreatio! Sophophonum enim multus est *fur vel devorator temporis* omnium efficacissimus; et *Google* et *Sony* et similes sunt illi *Domini grisei*, de quibus *Michael Ende* nobis narrat in fabulâ, quae inscribitur »*Momo*«. Videtur autem in eo posita esse ironia

¹⁶ originaliter: „Ihre Hetzerei gegen Handys geht mir langsam auf die Nerven und ich finde das etwa so bescheuert, wie Hetzerei gegen Notizblöcke, weil durch Notizblöcke die Menschen verlernen, sich Dinge zu merken. Oder Hetzerei gegen die ersten Werkzeuge in der Steinzeit, weil die Menschen verlernt haben, ihr Feuerholz mit den Zähnen zu hacken“.

quaedam fatalis, quod ipsâ eâ ratione technicâ, qua inventâ praedicebantur homines accepturi esse spatia temporis subsicivi additicia, quibus recrearentur et facerent opera creativa, haud raro iidem impelluntur, ut aut tempus inutiliter perdant aut animo nimium intento iniucundê fatigentur. Recordare verba Senecae: *Pessima servitus est voluntaria*.

B) Consentaneum esse, ut memoria exerceatur

Interdum aliquatenus bonum atque conducibile esse nonnullos numeros cerebro quoque proprio, non solum sophophono inculcare, hoc is quoque, qui non professionis suae causâ tractat numeros, si tardissime, eo tempore animadvertet, quo oblîtus erit numerum sophophoni aut signum accedendi¹⁷. Praeterea gravissimê errant isti, qui credant in institutione linguarum posse renuntiari vocabulis ediscendis, quia in examine sic quoque permitti, ut adhibeatur lexicon digitale aut analogicum. Comparantur enim vocabula cuiusvis linguae cum musculis, grammatica autem cum ossibus – nonne sceleta usque nunc – exceptis quibusdam cinematis horrificis – raro visa sunt circumcurrentia? Eo quod carmina canticaque ediscuntur, ut secundum accentum atque sensum recitentur aut canantur, memoria potest firmari, lingua facilius disci, anima plurimum ditificari. Etiam pulchrius et pretiosius est participare communitatem fabulas theatricas agendi, cuius actiones equidem semper visebam animo inflammato. Babae, in talibus actionibus participandis discipulus quot cognitiones facultatesque pretiosas potest sibi facere proprias! Iisdem discuntur et exercentur memoria facultasque pronuntiandi et recitandi, corporis positiones motionesve, facultas socialis veraque cooperatio mutuo assensu effecta (actores in scaenâ agentes et inter se colloquentes oportet unus alteri praestet summam fidem).

Eo quod res sciendas cito accedimus, easdem nondum scimus. Ut rectê eligas informationes aptas ex illis vinculis innumerabilibus, quae rete computatrale nobis offert, cui insunt saepe res scitu dignae, raro dignissimae - ita, ut ingens fresarium¹⁸ – hîc et illîc continet ferreas partes utiles, raro fortasse etiam partes aureolas pretiosas – necessarium est, ut teneas scientiam certam firmamque memoriae tuae inculcatam.

¹⁷ sîgnum accēdendī, i.e. theod. Passwort; angl. password; hisp. contraseña; ital. parola d'accesso; lusitan. senha;

¹⁸ *frēsārium, -ī n. theod. *Schrotthaufen*, angl. scrap heap; fr. tas de ferraille; hisp. montón de chatarra; ngr. παλιοσίδερα. Hoc substantivum ducitur a verbo temporali, q.e. frendere, frendo, frendi, fresum. (metalla) frēsa i.q. theod. *Schrott*. -

Discentia manet actio laboriosa. Oportet discipuli ne credant se posse, si quidem utantur rectâ methodo ludendi, discere sine ullo labore. Magistri enim iam pridem sciunt talem methodum non exstare. Iam Aristoteles dicit radices eruditionis esse amaras, sed fructûs dulces¹⁹. Necesse est primo sapias radices amaras – deinde fructûs tibi erunt verê dulces. Nisi forte mox inveniatur illustrissimum illud infundibulum Norimbergense²⁰.



¹⁹ ARISTOTELES Ἀριστοτέλης ... τῆς παιδείας ἔφη τὰς μὲν ρίζας εἶναι πικράς, τὸν δὲ καρπὸν γλυκύν. DIOGENES LAERTIUS 5,18 De Aristotele. cfr HERMOGENES (Progymnasmata 3.22: De Isocrate)

²⁰ theod. *der Nürnberger Trichter* (res fabulosa).

Hôc autem invento licet discere desinamus, sed tum eruditio erit nullius pretii. Num hoc est optabile? *Goethe* in carmine suo, quod inscribitur *De fossore thesaurario*²¹, dicit *En acidas septimanas (sc. sequuntur) dies festi laeti*, i.e. sine septimanis laboris molesti plenis dies festi non possunt esse laeti²².

Cerebrum nostrum, praesertim memoria nostra, licet quadamtenus comparetur cum aliquo musculo. Curemus, ne hoc tabescat et obbrutescat eo quod nos ineptê et immodicê per rete computatralis pervagamur lusiunculis inanibus dediti.

C) Faciamus colloquium non-retiale patrimonium cultûs civilis mundanum!

Si quam habes optionem, colloquium non-retiale praeferas retiali. Prius enim est pretiosius, quia potius conveniat naturae hominis, qui sit ens sociale. Vultûs atque gestûs, id est communicatio non-verbalis, haud raro sunt maioris momenti quam ipsa verba colloquii. Quantum autem est miserculum illud signum vultuale²³ tachygrammati (*SMS*) impositum, si comparas cum vero subrisu hominis prope te versantis et tecum colloquentis teque aspectantis? Colloquia non-retialia in dies fiunt rariora – similiter ac quaedam species bestiarum plantarumve. Nonne iam oportet curare, ut eadem servantur ab *UNESCO* – quia sunt *patrimonium cultûs civilis mundanum*?²⁴

Restat, ut aliquid confitear: Equidem particeps sum illius minoritatis hominum mox emoriturae, qui *n u l l u m* sophophonum possideant, neque volo mihi tale instrumentum emere. Necnon clarê et sincerê affirmo mihi hanc sophophoni abstinentiam non esse dolorosam neque ullo modo molestam. Nequaquam! Quod numquam habui, numquam desiderabo. Tamen - si me comparo cum illis, qui sophophona sua oculis febriculosus aspectare non desinant - sentio me a molestiâ quadam liberum esse (quod monet me verborum, quae facit Seneca in primâ epistolâ libri primi ad Lucilium scriptâ, q.s. *Vindica te tibi!* ibi, ubi explicat tempus esse unicam possessionem hominis veram – eumque ipsâ hac possessione ûti negligentissimê) ideoque magnae parti

²¹ orig. *Der Schatzgräber*.

²² orig. *Trinke Muth des reinen Lebens! / Dann verstehst du die Belehrung, / Kommst, mit ängstlicher Beschwörung, / Nicht zurück an diesen Ort. / Grabe hier nicht mehr vergebens. / Tages Arbeit! Abends Gäste! / Saure Wochen! Frohe Feste! / Sei dein künftigt Zauberwort.*

²³ i.e. Smiley

²⁴ theod. Weltkulturerbe; angl. world cultural heritage; fr. héritage culturel mondial; hisp. patrimonio cultural de la humanidad; ital. patrimonio culturale dell'umanità; neogr. παγκόσμια πολιτιστική κληρονομιά.

temporis parco, quam consumo agendis rebus praestantioribus atque oblectabilioribus. Laophoro aut tramine ferriviario dum domum vehor, delibero de meâ institutione huius diei: Quid bene factum est, quid potius male? Colloquio nunc valdê delector, nunc doctior evado (ceterum aurigae laophororum meliores collocutores esse solent quam dicuntur: nonnulli eorum sunt Minervâ crassiusculâ, sed haud inutili). Quod attinet ad epistolia electronica ad computatrum meum missa, eadem plerumque patienter tracto. Paucis epistoliis exceptis eadem vespere computatro meo domestico soleo legere haud nimiâ cum festinatione responsurus. Qualitas enim argumentorum meâ quidem sententiâ plerumque praestat velocitati respondendi. Laus enim operis multiprocessualis²⁵, quantum spectat ad labores hominum, est mendacissima. Homines non solent esse apti ad complures labores simul satisque diligenter exanclandas. Licet excipiendi sint quidam homines extraordinarii. E.g. Caesar et Napoleo praedicantur dictavisse complures epistulas eodem ferê tempore. Is, qui credat se illis esse parem, credat quoque se praestare posse opera multiprocessualia. Equidem non. DIXI.

HANC SYMBOLAM THEODISCE SCRIPTAM

D.10. M.DEC. A.2014

IN DISCIPULORUM PERIODICO

GYMNASII HUMBOLDTIANI ULMENSIS

QUAE INSCRIBITUR »HUMBOOK«

DIVULGAVIT,

NUNC IN LATINUM CONVERTIT

NICOLAUS GROSS



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>

²⁵ opus *multiprocessuale = angl. multitasking, cfr theod. Mehrprozessbetrieb, ital. multiprocessualità.

BABAE, QUAM ARGUTI SUNT !

AETATE COMMUNICATIONIS HOMINES SUBTILISSIMIS RATIONIBUS ID EFFECERUNT, UT NUNTIOS UNUS CUM ALTERO PERFECTE COMMUNICET. PER INGENTES DISTANTIAS PERFERUNTUR NUNTII GRAVISSIMI. COLLOQUIA QUOQUE FIUNT PERFECTE...



Quid faciamus ? – Scilicet tachygraphemus !

Heus tu, ut vales ? Quid facis ? – Bellissimê valeo. Sedeo hîc in cauponâ...

**HANC EPISTULAM LEONINAM
OCTOGESIMAM SEPTIMAM**

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT

Die Martis, d.8. m.Sept. a.2015

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>